

AD LECTOREM.

Cum non defuerint, qui statim post solenniter habitam hanc Orationem, ut publici ea iuris preli ope fieret, optarunt, horum desiderio eo minus deesse volui, quo magis me incitavit etiam voluntas Viri nobilissimi, cuius auspiciis solennia in memoriam & laudem illustris Stipendii Schabbeliani sunt instituta (*). Huic refragari, & Fautori optimo morem non gerere, cum nefas ducam, meum qualemcunque sermonem prodire in lucem iubeo. En! ergo *Orationem, Schabbeliani Legati debitis ornandi laudibus ergo* conscriptam. Sisto illam eadem forma, qua publice ea fuit habita, quam ut retinerem, nihilque in eadem mutarem, iustis fui rationibus impulsus. Nullae itaque accesserunt curae posteriores; accessere tamen isthaec, quae ipsi Orationi, cum ea esset edenda, subieci, tum ut fontes, e quibus hausi, significarem, tum, ut nonnulla paulo vberius & luculentius exponerem. Cunctorum autem, quos nominare me oportuit, Theologorum, Virorumque literatissimorum (quorum nonnullorum nomina in Documentis ad Stipendium Schabbelianum pertinentibus, idonea, quod sancte affirmo, fide adhibitis, reperta omittere nolui, etsi vberiore eorum notitiam aliis scrutandam relinquere debuerim), plenam & vitarum descriptionem & ingenii monumentorum recensionem nemo prudens hic requiret. Quod si enim

):(3

istud

(*) Haec prudentissimo GERCKENIO pereleganti Carmine, Kilon. in 4^{to} typis exscripto, gratulatus etiam est celeberrimus SEBAST. KORT-HOLTUS, Academiae Cimbricae, quam dudum ornavit, hodieque ornat, Senior, cuius & Pater & Filius Schabbeliano Stipendio sunt gavisi.